



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen

...

... Quadragesimale, Das ist: Die heilige Char-Wochen ... Dritter Theil

Barcia y Zambrana, José de

Augspurg, 1719

Approbatio Domini Doctoris D. Alphonsi De Mena, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76494)



APPROBATIO

DOMINI DOCTORIS D. ALPHONSI DE MENA,
 & Borja Collegialis Majoris de Oviedo in Universitate Salaman-
 ticensi, Olim Canonici Magistralis in S. Ecclesia Legionensi, nunc verò Canoni-
 ci Magistralis, & Pœnitentiarij in Sancta Ecclesia Toletana Primariæ
 Hispaniæ & Archiepiscopatus hujus Examinatoris
 Synodalis, &c.



Um Reverendissimus Dominus Michael de Olmo SS. Theologiæ Do-
 ctor, Sanctæ hujus Primariæ per Hispaniam Ecclesiæ Toletanæ Ca-
 nonicus, & Regiminis illius Consiliarius, ac per totum Archiepisco-
 patum Toletanum pro Eminentissimo Domino, Domino meo Car-
 dinale Portocarrero Archiepiscopo Toletano Vicarius, & Visitator
 Generalis Consiliarius Regius &c. &c. mihi commiserit, ac legere præcepit li-
 brum hunc, cujus titulus: *Tomus tertius quadragesima &c.* Author verò Dominus
 Don Josephus de Barzia, & Zambrana SS. Theologiæ Doctor &c. dictæ Ecclesiæ
 Canonicus &c. vidi, ac legi illum cum æquali attentione, ac delectatione, &
 non solum in eo propositionem aliquam dissonam non inveni, quæ orthodoxæ fi-
 dei nostræ, & Catholicæ Religionis sensui adversetur, aut à Christiana honestate,
 & bonis moribus abhorreat; sed magis omnia, quæ in eo continentur, non nisi
 Thesaurus quidam sunt summarum divitiarum: qui sanè ex arcanis, & recondi-
 tis sacrae Scripturæ visceribus erutus, & clarissimâ sanctorum Patrum, & Ecclesiæ
 Doctorum doctrinâ illustratus, atque insuper summa ingeniosæ artis claritudine,
 & artificiosâ ingenij exuberantis operâ exornatus est. Quare de eo dicere confiden-
 ter, & securè affirmare possum, quod de inclyto, & valentissimo Martyre Cypriano
 dixit eloquentissimus Lactantius lib. 5. contra gentes c. 5. *Erat ingenio facili, copioso,*
suavi, & (qua sermonis maxima est virtus) aperto. Ut discernere nequeas, utrum ornatio in
eloquendo, facilius in explicando, an potentior in persuadendo fuerit. Hæc quippe
 omnia in opera hac maximo studio absoluta comprehensa esse, atque conjuncta
 animadverto: invenio enim in ea ingenium admodum facile, minimè tamen con-
 temnendum, copiosum, sine tamen excessu; suave sine tædio, clarum cum ma-
 jestate, eloquens cum discretione, elegans cum gravitate: atque hæc omnia ita
 præclare hic conjuncta sunt, ut decidere non possis, quidnam vicerit vel ingenium
 in discurrendo, vel ornatus in dicendo, vel affectus in persuadendo; id tamen lu-
 culenter inde constat, quod hæc omnia in compendio quodam tam amabili, ju-
 cundo, & formoso contenta sint, ut neque voluntas amplius habeat, quod optet,
 neque intellectus, quod indaget.

Illud etiam in opere hoc valde mirum, quod ex uno, alteroque testamento,
 veteri, ac novo tam copiosa adducantur testimonia, eaque tam delicatè confide-
 rata, tam profundè intellecta, atque cum tanta doctrina, & singulari spiritu
 sint explicata; dum ex antiquitatibus tam mirabilia documenta eliciuntur, tam-
 que fructuosæ ex eruditionibus conficiuntur doctrinæ, & admonitiones. Ut
 planè dicere de ipso possim, quod Propheta Isaias de se ipso dixit: *Dominus dedit mi-*
hi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo.

Itaque liber iste ad reformandos mores nostros multis de causis optimè ordi-
 natur, atque Author illius propositum suum absque dubio obtinebit, quia vigi-
 lantissima ejus industria tam exacta fuit in eo ad finem suum perficiendum, ut lin-
 gua Spiritui, qui calamum arripere iussit, nequiquam defuerit; sed potius accura-
 tissimè observavit leges ad consequendum scopum necessarias; quas etiam Seneca
 observandas putavit, quando Valerij Maximi scripta examinavit: de quo dein
 dixit: *Doctrina eloquentia ornamentum tribus modis homines aggreditur, penetrando au-*
res,

APPROBATIO.

tes, demulcendo oculos, & animos invadendo. Ita & hic, quod ingeniosum est, aures incurias esse non patitur, quod suave est adeo, oculos quodammodo excirat, ac oblectat; & rei gravitas animum urget, & occupat. Hi ergo tres effectus cum hic conjuncti sint, desideratum finem certe obtinent. Cæterum si quis eam, quam in dicendo forte habet, amœnitatem, & dulcedinem etiam calamo diffundere novit, id valde rarum est; cum utique longè plures sint, qui in dicendo prævalent. Quare si mihi liberum sit, id, quod sentio, pronuntiare, judicium meum encomium hoc esto: *Ille liber est optimus, inquit Erasmus, in quo & argumenti utilitas commendat eloquentiam & authoris facundia commendat argumentum.* Denique omnia bonis moribus sunt consona, omnia ad eruditionem utilia, omnia ad discendum secunda. Ita sentio salvo meliori &c. Toleti. i. Septembris Anno 1687.

*Doct̃or Don Alphonſus de Mena,
& Borja.*

LICENTIA ORDINARIII TOLETANI.



Go Doct̃or D. Michael del Olmo Sanctæ Ecclesiæ Civitatis hujus Canonicus Regiminis Eminentissimi Domini mei Cardinalis Consiliarius, Inquisitor, & in dicta civitate, & Archiepiscopatu Vicarius Generalis, præsentium tenore Licentiam do, ut imprimi possit Liber, cujus titulus: *Quadragesima sermonum Doctrinalium, tomus tertius*: Conscriptus à Domino Doctore Don Josepho de Barzia, & Zambrana Canonico præfatæ Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ: quia juxta præfixam censuram Domini Doct̃oris Don Alphonſi de Mena & Borja dictæ Ecclesiæ Canonici, & Pœnitentiarij nihil contra Sanctam fidem nostram Catholicam, & bonos mores continet. Datum Toleti prima Septembris Anno Milleſimo Sexcentesimo, Octogesimo septimo.

Doct̃or Michael del Olmo.

Ad ejus Mandatum.

*Michael Garzia Pastor
Notarius.*

APPRO-